



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Antonii Bynaei de Calceis Hebraeorum Libri Duo

Bynaeus, Anthony

Dordraci, 1682

Variæ sententiæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12835

Vel τὸ *Meni* quam variè reddiderunt? Munsterus transfert, *implentes planetis libamen*. Arias Montanus similiter exponit, *implentes Meni (qui impletis planetis) libamen*. Ab horum sententia stant Rabbini, qui stellarum numerum, & quidem septenarium, intelligunt, ut R. David Kimchi docet. Quomodo & Vatablus exponit: *septem planetis paratis libamina*. Oforius, Mercerus, Cornelius à Lapide *factum* intelligi ajunt. Onkelos *Deos fictos* pro *Meni* habet. Vetusta versio Arabica in Bibliotheca Arundeliana apud virum c. l. Johannem Seldenum, *miscetis pocula vini mixti*, transtulit. Tremellius vertit: *quique impletis numeris illis libamen*: quomodo & Belgæ reddiderunt, *dit drank opvullet voor dat getal*. Cum illis faciunt R. Aben Ezra & pluri Hebræorum, Buxtorfius item & Schindlerus, nisi quod Scindlerus addat intelligere alios numerationis Deum Mercurium. Quæ quidem sententia Forerio placuit. Symmachus, Hieronymi testimonio, legit *Minni*, hoc est *impletis absque me potionem*, & Vulgatus habet,

Kimchi in
Rad. & ad
h. l. Vatab.
ad h. l.

Seld. de
Dis. Syr.
Synt. I.
cap. I.

Aben Ezra
ad h. l.
Buxt. &
Schindl.
in Lex.
Hebr.
Forer.
ad h. l.

bet, & libatis super eam. Lutherus, cum eam vocem se rectè redditurum desperaret, ita vertit: *Und schenket voll ein vom Trankopfer dem Meni*, quomodo & Hebræam vocem Leo Judas retinuit. Plures adhuc aliæ sunt diversæ sententiæ, quas colligere non est nostri otii, cum ex his abunde constet quam misere fatigaverit interpretes ad Meni. Nos, uti *Gad* esse *Solem*, quod optime animadvertit Anglicorum doctissimus Nicolaus Fullerus, Full Misc. l. 5. c. 17. multis argumentis possemus asserere, ita *Meni* putamus non nisi *Lunam* esse, quod à nemine scimus accurate demonstratum.

VIII. A מנר, quod *numerare* significat, hoc numen dictum מני, interpretes & lexicographi agnoscunt. Atque hinc natæ sunt eorum sententiæ, qui stellas intelligunt, vel planetas, vel Mercurium numerationis Deum. Quam facile fuisset intelligere Lunam, per quam veteres & annum & menses numerarunt? Solitos veteres per Lunas computare sua tempora, res est nota & quam plurimis animadverta. Juxta חַיִּיתָ לְפָנָיו lunarem